

Hnr: Chr:
Blichweelt.
1595.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]

42,-208-4°
DA BOX
(LN bis 348)
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]

Gratulatoria Carmina

IN HONOREM ORNATISS. ET OPTIMI IVVENIS DOMINI HENRICI CHRISTIANI BLICHVVEELT Arhuſienſis Magiſtri in Philoſophia inſignia accipientis à ſpectabili viro, Domino Henrico Meibomio Philoſ. M. Poëta Cæſario & Iuliæ Academiæ Hiſtor. Prof. publico.

Rectore magnifico

JOHANNE HEIDENRICCO. SS. Theol. Doct. & P. P. I. A.

Cancellario Excellentiſſ.

M. CORNELIO MARTINO Logicæ Profeſſ.

Scripta

à

Viris & amicis cariſſ.

HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
cIↄ. cI. XCV. XXIII. Octob.

Vidit

Reverenda dignitate sapientia piet[ate] viteq[ue] integritate Clarissimo viro Dno M. Johanni Egidi Episcopo Arhusi[ensi] dignis: Patri ac Patrono ...

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]

Henrico Chriſtiano.

LAurea honoratus, ornari carmine geſtis?
Virtute eſt dignum munus vtrumq; tua.
Conſule pauca boni: infinita negocia feſſum,
Quantumuis cupiam, ſcribere plura vetant.
Perge vti cœpiſti, Phœboque fauente capeſſes
Quod ſuperet noſtræ inſignia militiæ.

Henr. Meibomius Poëta Cæſarius
acad. Iuliæ Profeſſor f.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]

ALIVD.

TE virtus, pietas, & rarum mentis acumen,
Omnibus acceptum fecerat eſſe viris.
Iamq; videbaris nullius laudis egere:
Venerat ad ſummũ gloria parta gradũ.
Sed virtus ignara tegi, ſibi præmia poſcet,
Vt patriæ oſtẽtet, quas meruiſſet, opes.
Iulia ad officium præſtò eſt haud ſegnis honeſtum;
Iulia perpetuò ſueta fauere bonis.
Munera non auri fert, argentiue talenta,
Sunt hæc ignauo præbita ſæpè viro.
Laurum dat, Lauru Muſarum fautor Apollo
Se vult, & Myſtas condecorare ſuos.
Non aurum tam te, non tam te Margaris ornat.
Hac ſola patriæ dote placere potes.

Commenſali ſuo gratulabatur

M. Adamus Luchtenius.

E. P. S.

SI quem Fata volunt emergere, mille periclis
Ante fatigatum hunc expoſuiſſe ſolent.
Docte vir, haud melior te etiam fortuna ſecuta eſt
Linquentem patrij grata vireta ſoli:
Per varias terras, per tot diſcrimina, paſſim
Europæ intrepidè clara Lycea ſubis.
Immoreris ſtudiis quà multa inſtructior arte
Tu poſſis patriæ deinde præeſſe tuæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]

Nec tamen abſiſtis, quamuis lis viſq; doluſq;
Obſtrepat, & circum te ſua caſtra locet.
Quin, licet ante oculos nuper tibi mortis imago,
Cum traheres feſſo languida membra pede.
Nil metuens fultus diuini munere amoris
Edebas tales intrepido ore ſonos;
Sæua quid inſultas mihi mors, tua tela reconde,
In me iam poteris iuris habere nihil
Anne putas animi ſubeat ſpes friuola ſenſus,
Quod nunquam patrij tecta videnda ſoli?
Ille meæ vires, mea magna potentia, robur
Languenti poterit reſtituiſſe Deus
Dixit. & in membris ſucci genitabilis humor
Sufficitur, redit & priſtinus ille viget.
Hinc ſolitum penſum Muſarum caſtra reuiſit
Deſuetæ repetens fila canora lyræ
Sedulus ac veterum Sophtæ monumenta reuoluit
Ex quibus inſtar apis dulcia mella legit
Nec mora nec requies donec libauerit omne
Quod queat exactè conſtituiſſe Sophum
Non ſine ſucceſſu. quia dum vigil omnia tractat
Subiectam in peluim haud ænea ſphæra cadit.
Nam nouus ambit honos, blandè veſtigat & vltrò
Hunc quo virtutis præmia digna ferat.
Fit Sophiæ Doctor, velut hoc inſigne laboris
Donatum expleti quod tulit inde, docet.

Duci

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]

Ducitur ad meritæ meritò nunc culmina palmæ
Et fruitur partis, lætior, ante, bonis.
Ac ſic longa viæ poſt tædia poſtq; labores
Tandem exantlatos, denuò ſurgit honos
Pro lacrymis redeunt riſus, præconia laudum
Nullo ſuccedunt emoritura die:
Sic bene Muſarum decorat ſacer ordo merentem
Talis cultorem gratia quenq; manet.
Dij faciant ſurgat ſic gloria vt vbere ſurgit
Laurea ſylua ſolo dum tibi vita datur:
Quod ſupereſt, ſi quid ſupereſt: in ſæcula ſacri
Numinis incolumem te tueatur amor
Henricus ſuperet, qui cœlica verba profeſſus
Hebræo doceat Saxonus ore loqui
Vnde propagetur totam doctrina per orbem
Creſcat & immenſum relligionis honos.

Honoris & amoris ergo f. Philippus Perſius
Cheruſcus Medicinæ ſtudioſus.

ALIVD.

Miles vt infeſtos qui ſæpè viriliter hoſtes
Vicit, Cruentâ & ſtrenuus
Strage repleuit humum.
Eximiam laudem, nomenq; decuſq; perenne
Meretur, & poſt funera,
Gloriâ in orbe viget.
Dulci ſic ſtudio flagranti Palladis arces
Altas cupit qui aſcendere &
Proluere ora lacu

Pierio, herculeos debet perferre labores,
Proſternere & monſtra impia,
Et Cererem & Venerem.
Quæ ſi profligat, virtutis ductus amore
Tunc gloria & laus illius
Clarior igne micat.
Gratulor ergò tibi Blichvveldi gratulor auſis.
Labore parta quòd graui
Læta trophæa refers:
Non te ſegnities traxit, non ſæua libido,
Bacchus, Cupido ſordidus,
Nec maleſana Venus
Sed victis monſtris ſubijſti Palladis antrum,
Bibiſti & ex Heliconijs
Nobile nectar aquis.
Quarè pro ſtudijs, tribui, Aonioq; labore
Vult ipſe honorem nobilem
Ex Helicone tibi
Delius: vt molli uocaleis pollice Chordas
Ferit, ſorores dum parant
Florida ſerta, nouem.
Hæc eſt illa dies Blichvveldius inclytus arte,
Et moribus quâ auctus probis
Ingenioq; potens,
Præmia virtutis ſtudiorum inſignia adeptus
Dignâ virorum illuſtrium
Voce Magiſter erit.
O celebranda dies! ô lux optata Camœnis!
Votis fuiſti quàm pijs
Sæpè petita meis!
Calcar habent iuuenes, & habent ſua præmia Muſæ,
Virtute Claris uiuidâ
Additur amplus honos.

Omnis

Omnis honos pulcher, ſed enim pulcherrimus ille
Virtus decora & candida,
Quem meruitq; labor.
Nemo ſuos ſanctè cupiet componere mores
Doctis, polire nec volet
Artibus ingenium.
Ni ſe poſſe putet maturos carpere fructus
Laboris atq; induſtriæ
Ingeniją; ſimul.
Macte bonis animi Blichvveldi, macte trophæis
Virtus & eruditio
Quæ peperêre tibi.
Sic eris & Charus Patriæ, Charuſq; propinquis:
Durabit & per ſæcula
Nomen in orbe tuum.
Gloria, quam Muſæ pariunt virtuſq;, manebit
Habet nihil mors Pallida
Iuris in ingenium.

ALIVD.

NVper in Elmanâ Syluâ cum fortè iacerem
(Phœbus vbi nitidum caput altis mœnibus effert)
Sub tilia viridi; Phœbo comitante coruſco,
Iuliades *vidi Nymphas Chariteſq; venuſtas,*
Geſtantes manibus lauru viridante corollas.
Ipſe DEVS Cytharam reſonantem pollice dextrâ
Pulſabat, quem ponè graui pietate ſecutus
Meibomius vates diuinus & inclytus arte:
Inſignes comitantur eum qui præmia ſpectent
Virtutis iuuenes, decus immortale ſororum.
Vndiq; turba Choro Muſarum currit ad ædes

Dedita Caſtalio; pueros præferre micantes
Cerno faces, doctis quales portantur Athenis,
Debita cum Caſtæ ſoluuntur vota Mineruæ
Poſtquam omnes ingreſſi ædes quas Iulius olim
Extruxit diuus, poſuitq́ habitacula Muſis
(Hæc domus hoc feſto dignis ornatibus altè
Inſtruitur) magna cum maieſtate Decanus
Pulpita conſcendit, roſeoq́ ſic incipit ore.
O iuuenes (quoniam meruiſtis l aude coronam)
Egregij, vobis nunc præmia digna dabuntur:
Sic ait, ex more & cunctis indicit honorem
Præclarum, doctos, magnâ illos voce magiſtros
Declarat, viridiq́ aduelat tempora lauru.
Hos inter vidi (quo non ornatior alter)
Blichvveeldum ſacri non pigrum Heliconis alumnum,
Conſortem celebris reddi virtutis honoris.
Tali igitur doctas ſum aggreſſus voce Camœnas
Pierides Muſæ lauitis quæ flumine crinem
Aonioq́ nitens teſtudine Delie Pæan
Huc hilares huc ferte pedem, celebrate choræis
Carminibusq́ diem, quo præmia iuſta laboris
(Quæ mores pulchri & duri meruere labores)
Cultori veſtro, & Phœbi tribuuntur alumno.
Nec mora: læticiæ incumbunt, & IVLIA tota
Gaudet honorati titulum te ferre magiſtri
Hoc igitur fructu ſtudiorum lætor & ipſe
Doctrinæq́ gradum & partos tibi grator honores.
Quod ſupereſt ſupplex votis ardentibus oro.
Te DEVS incolumem & multos conſeruet in annos
Vtilis & Patriæ longo ſis tempore Charæ.

Georgins Zeſterus Scotus. f.

ALIVD.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]

HENRICO CHRISTIANO BLICHVVEELT ARHVSIENSI IVVENI ORNATO, CONuictori ſuo dilecto, abitum in Patriam paranti:
Ὠδάριον hoccè προπεμπτικὸν αὐτοσχεδιαστὶ
exarabat.

M. Iohan. Fridericus VVolffeshuſius Scholæ Mariæmontanæ Rector.

HVc fer, docta, pedem, fer, polyhymnia,
Queq; vdos Philyræ Diua tenes agros:
Flores carpite, diæ
Nymphæ ſertula nectite.
Ibit Pierio Lipſidis hortulo
BLICHFELDVS, Clarij nominis aſſecla,
Cimbro quem procul orbe
Arcto ſub gelidâ ſatum
Inde vſq;, ambiguâ tot ſpacijs viâ,
Muſarum elicuit gloria Lipſidum,
Rectæ mentis, & arte
Exculti iuuenē ingenij.
Hunc vos auſpicijs, hunc aue dexterâ
Accinctum Aonijs mittite finibus,
Tutum ducite, noto
Saluum reddite limini.
Non is Maſſagata transfuga & horridos
Viſet terribili duritie Lares
Qualem conſona priſcis
Cimbris fama dedit notam.
Ceſſit durities priſca ferocitas
Mollita Aonidum euanuit artibus:
Diuæ illic ſibi ſedem
Elegere nouenſiles,

His

His almæ Charites blandaq́; Comitas,
Nexa, aſſunt, placido fœdere Numina:
Hîc DANVM decus ingens
Illud RANZOVIA domo,
Quo ſe Diua Thenus præſide iactitat
Et Phœbus, ſocio cum Aonidum choro
Hic magnus TYCHO priſcum
Atlantem ingenio æmulans.
Fine ille triſecti orbis ad vltimos
Dijs VRANIAE nobilis artibus:
Hîc plures alij, aureum
Famâ qui feriunt polum.
Hos viſurus abit Lipſide, dexteris
Ergo illum auſpicijs, dextra aue, finibus
Noſtris mittite, noto
Saluum ſiſtite limini.
Si fors fortè ferat, rurſus vt aduena
Huc maturet iter ducite ſoſpitem,
Mox adducite, & hiſce
Saluum reddite finibus.
Nunc fer, diâ, pedem fer polyhymnia,
Quæq́; vdos Phylere Diua tenes agros:
Flores carpite, dulces
Nymphæ, ſertula nectite.

HENRICO CHRISTIANO ARHVSIENSI LVNEBVRGO LIPSIAM proficiſcenti ſcripſit.

Κλαίετε νῦν Μοῦσαι, κἂν χαιρέμεν ὥρα κελεύη
Καὶ χρόνος εὐώδης ἔαρος εὐπλοκάμου
Νῦν γὰρ νῦν πάντες θνητοί, νῦν ζῶα πρόπαντα
Γηθεῖ, νῦν ἄνθει ἄνθεα τοῦ πεδίου.

Nῦν

Νῦν ἐν ἀγροῖς ὑμνοῦσι νέοι θεὸν ἠδὲ παλαιοί
Νῦν σφετέρους φύει πάντοτεν εἴα λοβούς.
Νῦν πτερόεσσ' ὄρνιθες ἀπὸ δρυὸς καὶ πετάλοιο
Ἡδυμελεῖ λαιμῷ τὸ προχέουσι μέλος.
Αὐτὰρ ἐμὴ Μοῦσα ψάλλειν μελίγηρυν ἀοιδήν
Οὔτι δύνη κλείειν χάρμαζα οὔτι φρεσίν.
Γηοβόρος τὸ ἔχει λύπη τε φόβος μάλα θυμόν
Τήκει ἠδ' αἴρει χάρματα πάντα σεά.
Ὡς φίλος ἡμέτερος θαλερὸν ποτὶ ἄστυ ὁδεύει
Ἵζεθ' ὅπου ΚΛΕΙΩ ἠδὲ ΘΑΛΕΙΑ καλή.
Μίμνε ἑταῖρε, τέμ' οὔτι φίλον διάλειπε τάχιστα
Μείζω ζητεύη ὡς φιλότης μένεα.
Μίμνε ἑταῖρε, καὶ οὔτι φίλον διάλειπε τάχιστα
Εἰσόκε σοὶ ἕπομαι ἔνθεν ἴοντι Θεῶς.
Μίμνε ἑταῖρε, καὶ οὐ θαλερὸν διάλειπε τάχιστα
Ἄστυ, σὲ ἣν γνώῃ μᾶλλον ὅπως ἀρετὴν
Αὐτὰρ ἔγωγε τί μὰψ ἔπεα πτερόεντα προχείω
Οὐδὲν ὀνεῖ εὐχὴ ἠδὲ δέησις ἐμὲ
Οὖν ἄγε αἶρε τρίβην τε καὶ εἰ πόλιν εὐρυάγυιαν
Ἠδ' ἀρετῇ κόσμει εὐφρονέοντα νόον.
Οὕτω ἑταῖρε ἄφαρ τιμὴν ἐνὶ πατρίδι λαψῇ
Ἀνέρες ὥς σε ἀεὶ εὖ φιλέουσι σοφοί
Τρέπειν σοι ὁδὸν μὲν ἔγωγ' ἐσθλήν τ' ἀγαθήν τε
Εὔχομαι ἣν δώσει χριστὸς ἀλεξίκακος
Ἓ καλέει σε Θεοῦ ἠεύς. ἴθι τοσσὶ μακαρτοῖς
Ὦ φίλε, καὶ μνήμων ἐσσὶ φίλοιο σεῦ.

Iohanes Meierus Flenſburgenſis.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 348 [42,-208 4°]